HIERONYMUS
12. Jh. Seite 96r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26076
Copyright: Admont, Benediktinerstift



sic et post tres annos et moab assyrio ueniente delebitur. et uix pau
ci relinquentur in terra. qui subrutas habitent ciuitates. et desertos
agros exerceant. Potest et de babylonie captiuitate predici. quod
post captam hierusalem et transitum annorum trium moab uastanda sit.
siue quod in trium annorum spatio nulla eis danda sit requies.
Onus damasci. Ecce damascus desinit esse ciuitas. et erit sicut Cap 11
aceruus lapidum in ruina; derelicte ciuitates aroer gregibus
erunt. Et requiescent ibi. et non erit qui exterreat. Et cessabit
adiutorium ab effraim. et regnum a damasco. et reliquie syrie sicut
gloria filiorum israel erunt. dicit dominus exercituum. Post babylonem et
philisteos et moab. ad damascum idem aram sermo conuertitur:
que et ipsa regalis quondam ciuitas fuit. et in omni syria tenu
it principatum. Necdum florebant antiochia et laodicia et apa
mia. quas urbes post alexandrum et macedonum imperium
uictas esse cognouimus. Quia igitur semper x tribubus contra iudam.
prebebat auxilium. et regum et paralippomenon narrat hystoria.
et iam ipsis uastitatem ab assyriis adpropinquare significat. dicen
te rege assyriorum; cepi arabiam et damascum. et samariam; sicut enim
illa cepi et uniuersa regna. capiam et te. In regum uolumine le
gimus; ascendit rex assyriorum damascum. et cepit eam et transtu
lit in cyrinen. rasin quoque interfecit. qui erat rex damasci. Que
omnia ehechia ierosolimis regnante prepessa est. Ecce inquit
damascus desinit esse ciuitas. Iam uicina captiuitas est. iam
assyrius suum mouet exercitum. et erit sicut aceruus lapidum in ruinam.
ut tantum parietine et pristine potentie uestigia. in ruinarum
magnitudine demonstrentur. Derelicte ciuitates aroer gre
gibus erunt. Aroer mirice interpretatur. que proprie arbor in so

accipiat